

## EPISTOLA DEDICATORIA.

dictu quoque mirum sit, in tanto generis, rerum, honorum, scientiae, virtutum deniq; fasti-  
gio, quam nullum omnino supercilium, immo quam ingenua morum mansuetudo, quam co-  
lumbina hominis simplicitas cum serpentina prudentia coniuncta reucebat. Quibus doti-  
bus nullius non benevolentiam sibi adiunxerat, summamque existimationem longe lateq;  
pepererat: adeo ut piæ memoriae Catolus Quintus Cæsar, vt si quis unquam alias omnibus  
ornamentis egregio Principe dignis cumulatus, amplissimos dignitatis gradus vltro, nec se-  
mel, illi obtulerit, immo (vt verius dicam) obtruserit, quos omnes constanter semper respuit,  
sua, quam Deus dederat, sorte contentus. In visitandis tamen ac reformandis plerisque sui  
ordinis monasterijs strenuam Cæsari nauauit operam, quippe qui animarum salutem, Dei  
honorem, Ecclesiæ splendorem, quibusvis voluptatibus, commodis, fortunæ, vitæ etiam  
anteponeret. Sed delino, ne videar Blofianæ vitæ historiam texere, quandoquidem abunde  
iuxta Græcorum prouerbium, *ἀνὴρ ἀνὴρ ἀνὴρ* Redeo ad Illustrissimam C. T. in qua il-  
le cunctarū quidem Episcopaliū virtutum chorū suspiciebat, sed in primis tamen heroï-  
cam magnanimitatem pari modestia temperatam, & sapientem æquè vt feruentem in resti-  
tuenda Ecclesiastica disciplina zelum: cuius præclara dogmata cum alijs sœpè, tum in Syno-  
do provinciali, cui præsidebas, anno superiore dedisti, nec verò minùs in duobus illis Colle-  
gijs Cameraci & Cameracesij construendis, liberaliterque sustentandis. Quibus plurima eru-  
ditione, integra in Deum fide, moribus incorruptis, Patres Societatis Iesu præfecisti: qui te-  
neram rudemque ætatem literarum cognitione informent, pietate excolant, omnibusque  
Christianæ disciplinæ præceptis diligenter imbuant. Atqua hæ sanè ferè sunt causæ, quibus  
adductus sum, vt has sanctissimi Patris Cedro dignas lucubrationes tuo potissimum nomi-  
ni dicarem, Lectissimè Præful. Supereft vt C. T. nostrum studium æqui boni consulat, no-  
stræque industria faueat, quod fœlicior prodeat Blofius, orbique gratior, tanti Mœcenatis  
patrocinio suffultus. Defuncti effigiem graphicè depictam postulabas, cuius tibi conspectus  
insignium, quæ in illo resplenderunt, virtutum memoriam subinde refricaret: nos damus  
viam mentis imaginem à suo, vnde ducta est, archetypo planè gemmeo nihil omnino diffe-  
rentem. Tabella vultus tantum lineamenta figuramque exhibit: hic habes totum Blofium  
spirantem, loquentem, miroque artificio literis, non dico deformatum; sed expressum, qua-  
lem nullus Apelles suo penicillo effingere queat. Ad hæc, hortuli, quem paucis ante morte  
mensibus parari iusserat, πρατιτον exemplar cernere auebas: en tibi viridarium longe  
amœnissimum, Blofianis manibus excultum, elegantissimis compositum areolis, varijs flo-  
ribus picturatū, natu ris gemmis & immortalibus amaranthis germinans, quibus ea est præ-  
rogatiua diuinitus data, vt nunquam flaccescant, sed ætatis beneficio fruantur, & quo-  
tidie magis ac magis reuirescant. Hic videoas opacas arbores saluberrimis induatas,  
atque adeo onustas pomis. Hic suave-olentes herbas, omnisque generis feraces plantas lege-  
re est, medendis animorum morbis efficacissimas: quibus conferri nequeant nec panacea  
potens, nec laudatissima moly. Hic violas & flosculos gratum spirantes odorem alij decerpere, alij naribus admouere, alij coronæ intertexere possunt. Hic virides ac spatiose porti-  
cius, in quibus pias mentes vsq; & vsq; inambulare iuuet. Hic auditur suave melos sanctorū  
Patrum, qui sua symphonia vel faxea corda permoueant: ad quos nihil sunt garrulæ oscines  
tremulo cantu ludentes, auresq; corporis oblectantes. Atque, vt paucis absoluam, credi vix  
potest juā volupe erit animæ fideli in hac spirituali paradiſo frequenter spatiari, residere  
ac meditari. Hic enim illum, cuius amore flagrat, protinus inueniet, vnigenitum Dei Iesum  
Christum, quem toto pectore precor, vt Illustrissimam Celsitudinem T. Ecclesiæ suæ iuuā-  
dæ diu seruet in columem. Datum Lætijs, postridie Calendas Iulias. Anno Domini post  
Millesimum quingentesimo sexagesimo sexto.

PROSO.